





1738

1. Cramerus, Joh. Ulrichus: De valida et invalida  
juris primogeniturae abutitione
2. Cramerus, Joh. Ulrichus: De minorata in  
femine Illustribus ad testamentum Bartholomaei  
Episcopi Vratislaviensis &c. 1564. 2. Exempl.
3. Cramerus, Joh. Ulrichus: De filia nobili vi  
consuetudinis vel pacti familiae renunciantis  
ut et successione Slavonica.
4. Lippe, Christian Theodor: Differentiae juris com-  
munis et Electoralis Trevirensis circa testa-  
mentum filii familiae de bonis adventitiis.
5. Tillemann, dictus Schenk, Jr: De necessitate  
hypothetica primario praesentiae divinae  
fundamento.

1739.

1. Cramerus, Joh. Ulrichus: De executione immedia-  
ta, quam nobiles immediata in territoris statuum  
sibi vindicant. Accedit: allocutio Welfi ad auditores

1739.

2. Gronovius, Joh. Ulricus: De austregis consuetudine  
liber in causis mandatorum I.C. non cessantibus.
3. Gronovius, Joh. Ulricus: De interpretatione statu-  
torum.
4. Hartmann, Joh. Joseph: Persuasionis peritiae, qual  
eloquentiae finis est, genesis.
5. Poprecht, Joh. Christoph: De fidei commisso familiae  
cognatice

1740.

1. = 19. Et Claud de Brenles, Abrah. David: De exentione  
legatorum, a pro criminali ejus, <sup>et quem mitti</sup>  
dum J. 2 Sampl. 1740: 1757.
2. Gronovius, Johann Ulrich: Von der langung einer <sup>Tunnen</sup>  
Lat. durch Verjährung
3. Gronovius, Joh. Ulricus: Vindicis regalis juris ve-  
nandi oppositae vindicis juris venandi naturalis  
Germanicae.

1740

4. Cumbmann, Joh. Casp: De bonae fidei possessione  
fructus a tempore litis contestatae restituentis,  
et non restituentis
5. Fischerus, Ernst Conrad Christ: De actione spoli
6. Hartmannus, J. Adlp: De statu furiosorum in  
paroxysmo constitutorum
7. Hartmann, Joh. Adlp: De eo, quod justum est ~~causa~~  
in praedictis
8. Schelhaase, Joh. Philipp: De transactione propter  
enormem laesionem non rescindenda.

*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*









25.

DISSERTATIO  
QUA  
PERSUASIONIS PASSIVÆ, <sup>10</sup>  
QUÆ ELOQUENTIÆ  
FINIS EST. GENESIS

OSTENDITUR,  
QUAM,  
AUSPICIIIS  
SERENISSIMI ET CELSISSIMI PRINCIPIS  
ET DOMINI

984  
D. N. FRIDERICI,

HASSIÆ LANDGRAVII, RELIQ.  
[ACADEMIÆ RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,  
PRÆSIDE

JOH. ADOLPH. HARTMANN,

HIST. ET ELOQ. PROF. P. O.  
IN PHILOSOPHORUM ACROATERIO  
SPECIMINIS CONSUETI LOCO  
DIE X. JAN. A. R. S. MDCCXXXIX.

PLACIDÆ  
DOMINORUM COMMILITONUM

DISQUISITIONI  
SUBJICIET

JOH. DANIEL BOCKWITZ,  
ZIEGENHAINA - HASSUS.

MARBURGI CATTORUM,

TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MULLERI, ACAD. TYPOG.



DISECTANTIO

PERSUASIONIS PASSIVAE  
QUE FLOQUENTIAE  
FINIS EST GENESIS

Ostendit

FRANCIS

EXCESSIVUM ET CELESTIUM PRINCIPIS  
ET DOMINI

D. N. FRIEDERICI

HASSAE LANDGRAVI, RELIG.

ACADEMIE RECTORIS M. G. N. B. P. S. I. M. I.

PRINCEPS

JOH. ADOLPH. HARTMANN

INSTIT. ET PROG. TROP. P. O.

IN BIBLIOPHONUM AGRICULTURAE

REACTIVAS CONSULTATIONES

DE J. W. A. R. S. M. D. C. L. X. X. X.

Praxis

DOMINORUM GOMMILLIONUM

DISCURSUS

STAVACENSIS

JOH. DANIEL BOCKWITZ


EXCERPTA ET NOTAE AD USUM SCHOLAE

CALISIAE

THEATRO CASIMIRI MULLERII AD. TROP.

1770





PERSUASIONIS PASSIVÆ,  
 QUÆ FINIS ELOQUENTIÆ  
 EST, GENESIS.



Uanta quamque iustissima fit in omni humana vita finium regundorum necessitas, is solus ignorare potest, qui nihil aut ex Majorum historia aut nostram etiam ævi commodis voluit scire, aut confusionis ipsius amicus omnia permiscere, tumultu, seditionibus bellisque gravissimis perturbare toto avet animo. Verum Summa licet sit finium horum regundorum necessitas; non minor profecto incumbit Literarum amantibus, ut Scientiæ cujusque fines quam solcite regant, eosque suis ita circumscribant terminis, ut & earum Studiosus intelligat, quid ab unaquaque scientia expectandum sibi sit, & illarum Doctor norit, quid in tradenda quaque disciplina impositi aut suscepti muneris ratio postulet, ne vel defectu peccet vel excessu, itaque confusionem omnem, quæ eruditionis solidæ pestis est gravissima, quam curatissime vitet effugiatque. Nos sane,

ut aliarum Disciplinarum fines non attingamus, favente Deo T. O. M., hoc specimine Academico, Persuasionis Passivæ, quæ Eloquentiæ finis est, dum Genesin proponimus, e-iusdem pariter fines ita regemus, ut, in quo a Demonstratione Passiva differat, liquido ostendamus, parum solliciti, quid Virorum, alias Celebrium, auctoritas in contrarium definiat, utpote ex quorum refutatione lauream non ambimus, contenti, veritati nos calculum adjecisse.

§. I.

Ut Demonstrationis Passivæ nomine nihil aliud intelligimus, atque assensum illum, qui demonstratæ alicui propositioni præbetur; ita Persuasionis Passivæ nomine nil indicamus aliud, atque assensum, qui propositioni, qualicunque demum modo probatæ, præbetur.

§. II.

Quemadmodum itaque ad Genesin Demonstrationis Passivæ requiri pronunciamus, ut propositio, cui assensus iste præbetur, per concatenatos, eosque Logicæ Regulis conformes, syllogismos tandem probetur, donec ii occurrant syllogismi, quorum præmissæ definitionibus, experiētiis indubitatis, axiomatibus, propositionibus Identicis &c. constant; ita ad Genesin Persuasionis Passivæ requirimus, ut propositio, cui assensus præbendus est, non quidem demonstretur, sed ut homini, qui de ejus veritate persuaderi debet, illius verisimilitudo, secundum ipsius persuadendi dispositionem, quam maxime appareat.

§. III.

Humana nimirum ea quidem est indoles & natura, ut res quam distincte cognoscere non tantum queat, sed & ita distincte cognitæ possit dijudicare, & ex veritatibus, distincte cognitæ, novas valeat inferre; at ea ipsa humana  
 natura

natura res insuper clare quidem, sed confuse, ut quam frequentissime, cognoscit, ita cognitas dijudicat, & ex iudiciis hęc novae concludit propositiones, veri saltem bonique specie circumvestitas.

§. IV.

Quin, ubi propositiones cum praxi ipsa conjunctae sunt, si ad ipsam attendamus experientiam, id etiam liquido deprehendimus, eam hominum esse consuetudinem, ut propositioni, qualitercunque demum probatae (§. I.) assensum præbeant, si ad ipsum hunc assensum ab affectu aliquo, quacunque demum ratione excitato, impelli se sentiant.

§. V.

Intellexit sane hoc ipsum, prudentissima Rerum agendarum, Antiquitas, & pro varia personarum, quibus assensus extorquendus erat, ratione vario etiam eundem iis extorquendi modo Veteres usi fuerunt. Quod enim non ignorarent, ubi res sibi esset cum uno aut paucissimis, præcipue iis, quibus perspicua rerum agendarum aut omittendarum cognitio familiaris esset, eos ipsos perspicua rerum intuitione facillime ad assensum esse permovendos; tum enim vero, quæcunque nobis supersunt deliberationes & consilia, summis etiam in Rep. Principibus data, rem ipsam propositam tractant perspicue, & non tam affectuum diversissimorum excitata vehementia, quam gravi rationum allatarum pondere, iis ipsis assensum extorquere nituntur.

§. VI.

Quod si in publico civitatis alicujus Coetu res erat pertractanda, & vel pax bello, vel bellum paci ex communi audientium consensu præeligendum; ubi reus aut iudicium sententia erat absolvendus, aut delicti alicujus insimulatus omnium odio & indignationi exponendus; ubi aut

persona aliqua aut factum etiam singulare, aut res qualiscunque presentium existimationi commendanda, aut vituperio etiam & contemptui objicienda; tum profecto non tam proponendis perspicue rationibus & verissimis & solidissimis insudarunt Oratores, quam in eo toti elaborarunt, ut notionum consularum multitudine audientium mentes obruerent quasi, & ad affectum, ipsi Oratori accommodatum, ea ipsa dicendi ratione quam certissime prepararent.

## §. VII.

Qua ipsa in re non levem sibi vel ex eo necessitatem impositam censuerunt viri, non minus sapientissimi quam disertissimi; quod ea esset ipsa rei suscepta indoles & natura, ut, si distinctis ea vestiri notionibus, & rationibus omnino perspicuis muniri, deberet, aut nullus omnino aut saltem non is, quem orator intendebat, assensus ab eodem obtineretur; idque, quod ea saepe numero rem ornent circumstantiæ, quæ aut nulla ratione penitus evolvi queant, aut nonnisi summa cum difficultate possint enodari.

## §. VIII.

Quod si etiam ipsos in Rep. aliqua vetere intueamur cives, plerique non ii haberi possunt, qui veritatum proponendarum nexum distincte poterint intueri, & citra omnem, in se excitatum, affectum id, quod toti Reip. salutare videbatur sapientissimis, suo eoque maxime necessario calculo approbare; ituri potius fuissent in contraria omnia, nisi orator, se familiari illis cogitandi ratiocinandi que methodo accommodasset, & cum affectuum suorum servi essent potissimi, ipsorum etiam affectuum ope & adminiculo in ea ipsa, quæ reip. salutem promovendæ erant aptissima, volentes facilesque, etsi confuse tantum res ipsas cognoscentes, perduxissent.

## §. IX.

Ad quæ omnia gravissimum hoc non raro accedebat momentum, quod, sua laturo suffragia, existimarent, tum se quam sapientissime optimeque parti alicui accessuros, cum auditis, quæ pro utraque militabant parte, rationibus partis utriusque merita pervidissent; adeoque in negotiis pertractandis definiendisque vellent sæpe juberentque, ut a diversis Oratoribus rerum diversarum, earumque non raro contrariarum aut contradictoriarum momenta publice diferteque exponerentur: his enim in circumstantiis qua ratione oratoribus agendum esset, nemo non videt.

¶ X. Quod enim unica tantum sit veritas, & propositiones contrariæ veræ simul esse nequeant, contradictoriarum vero altera semper sit falsa, demonstrationes ab utroque velle oratore expectare, idem foret, atque cum spississima Ægyptiæ nocte plenissimos solis fulgentissimi radios velle copulare. Unde, cum utriusque dicendum esset, alterutri saltem, ut suam persuaderet sententiam, non tam distinctis notionibus, quam excitatis a notionum confusarum copia affectibus, in finem suum profuturis id ipsam erat efficiendum.

¶ XI.

Quod si etiam res ipsas, quæ Oratori dictionis suæ materiam subministrare possunt, intueamur, eas, & frequentissimas quidem, tales deprehendimus, ut, earum decilionem a Demonstratione ejusque principii petere velle, idem sit, atque in altissimo mari statuas Mercuriales, columnas Brachiatas & Milliares, viarum distantiarum que indices, velle desiderare: ut enim & ipsa maris profunditas, & tumultuantium reciprocantiumque fluctuum continua vicissitudo has impe-

impedit erigi, ita, aut alte quasi demersa in casibus specia-  
 lissimis veritas, aut rationum pro utraque contraria parte  
 militantium probabilitas impedit oratorem, ut verum de-  
 monstrat, abunde contentum, si verisimillime rem, a se su-  
 sceptam, in audientium corona ipse stabilierit, & non tam  
 demonstrando, quam auditorum suorum affectibus quasi  
 veificando, propositum ipse suum obtinuerit.

§. XII.

Possemus hæc pētitis ex omni non tantum antiqui-  
 tate, sed ab ipsa etiam ætate nostra exemplis, veluti toti-  
 dem experientiis certissimis, confirmare, nisi in tanta veri-  
 tatis luce a re, omnibus conspicua, adiutorium petere su-  
 pervacuum nobis videretur. Certe, cum teste *DIONE Lib.*  
*52.* Augustus, confecto bello civili, de constituenda Rep.  
 cum Agrippa & Mæcenate deliberaret, Agrippa Remp. re-  
 stituendam suadere volens non minus, quam Mæcenas, Mo-  
 narchiæ auctor, perspicuis maxime rationibus cum Augu-  
 sto egerunt, quod, in hac trium horum virorum delibera-  
 tione perspicuis rationibus melius agi posse, quam sapientis-  
 sime existimarent. E diverso autem Tullius aliquis, ubi  
 cum conferta audientium multitudine agit, & aut Legem a-  
 liquam rogat, aut Milonem defendit, aut alia ad publicam  
 privatamque salutem pertinentia pertractat, utut in iis, quæ  
 audientium captum non excedunt, perspicuitatem sequa-  
 tur, in aliis tamen, ut Persuasionem Passivam excitet, quan-  
 tus est in movendis affectibus? quantus in notionibus con-  
 fusis, sed fini suo utilibus, cum audiente communicandis?

§. XIII.

Quod nimirum Demonstratio Passiva tum genere-  
 tur, cum is, qui assensum præbere debet, & demonstratio-  
 nis vim percipit, & ob rationes, ex subjecti notione de-  
 sumtas,



sumtas, adeoque intrinsecas, propositioni allata probata-  
que assentitur; Persuasio vero Passiva tum existat, cum au-  
diens propositionem, ejusque probationem, vel demon-  
strationis vim nondum percipit, vel, ob rationes aliunde  
petitas, eandem pro vera, vel falsa, probabili aut minus  
probabili habet; ad posteriorem vero classem plerique e  
mortalium numero merito referantur, quam sapientissime  
secum definierunt Oratorum principes, in orationibus a se  
publice habendis, non tam Demonstrationem passivam,  
quam Persuasionem passivam, finis præcipui loco sibi esse con-  
stituendam.

§. XIV.

Neque est, quod quis objiciat, eam esse veritatis,  
distincte propositæ & suis communitæ principiis, vim, eam  
elegantiam, ut ad sui amorem amplexumque omnes rapiat,  
utut enim hoc ipsum nolimus vocare in controversiam, id  
perfecto quotidiana etiam testatur experientia, ad hoc, ut  
philosophiæ auditor veritatem sibi propositam amplectatur,  
in illo desiderari & cupiditatem verum intelligendi, & ena-  
tam ex illa attentionem, quæ duo in quam pacuis sem-  
per inveniantur mortalibus, nemo sane potest ignorare. Ve-  
rum, cum oratori cum illis etiam agendum sit mortalibus, in  
quibus has animi dispositiones non frustra modo requirimus,  
sed contrarias etiam quam frequentissime deprehendimus,  
alia sæpe oratori incedendum via, ut veritati a se persua-  
dendæ assensum præbeat auditor. Tollenda ipsi est ea, quæ  
in auditore esse potuit animi erga veritatem propositam in-  
differentia, omnia ad hunc finem comparanda sunt media,  
versandus in omnem partem audientium animus, & affe-  
ctus ille præcipue in iis excitandus, qui unius cujusque ani-  
mum ad veritati propositæ quam firmissime assentiendum  
videbitur impulsurus. **B** §. XV.

§. XV.

Unde non miramur, Oratoribus, ad producendam in Audientibus Persuasionem, familiaria esse & illa principia, quibus Philosophus ad demonstrandum utitur, & usitata esse illa, quæ veritatem oratione hac persuadendam ex variis probabilitatis cum intrinsecæ tum extrinsecæ locis stabiliant; & eisdem diversos permiscere affectus, & dictionis actionisque vim & ornatum quam utilissime usurpare; cum enim in tanta audientium copia diversa etiam sit animorum circa veritates propositas dispositio, frustra sane ageret, qui una omnes vellet regula dimetiri, diversissima potius adhibenda sunt media, ut diversissimi auditorum animi ad unum tandem cogantur assensum animique motum. Id quod præclare agnovit QUINTILIANVS L. V. c. 14. scribens: *nobis, ad aliorum iudicia, componenda est oratio, & sæpius apud omnino imperitos, atque aliarum certe literarum ignaros, loquendum est, quos nisi delectatione allicimus, & viribus trahimus, & nonnunquam turbamus affectibus: ipsa, quæ justa ac vera sunt, tenere non possumus. Locuples & speciosa vult esse Eloquentia, quorum nihil consequetur, si conclusionibus certis & crebris, & in unam prope formam cadentibus concisa, & contemptum ex humilitate, & odium ex servitute, & ex copia satietatem & ex amplitudine fastidium tulerit.*

§. XVI.

Sunt, non diffitmur, plura quidem in Sacra etiam Eloquentia objecta, quorum veritas demonstrari potest, id quod & in Theologia Naturali & Philosophia Practica perpetuis docemur exemplis; at nemo mente sanus hinc ratiocinabitur, genesis Demonstrationis Passivæ finem esse Eloquentiæ, etiam Sacræ tantum. Cum enim Oratoris Sacri officium

officium sit intellectum docere & convincere, & eadem opera voluntatem ad bona proposita diligenda, mala vero fugienda permovere; utrumque profecto solius Demonstrationis ope nequaquam poterit obtineri. Ut enim & experientia docet, & ratio evincit, is, qui per demonstrationem convincendus est, in statu debet esse notionum distinctarum; hic vero notionum distinctarum status omnem impedit in anima affectum, idque tantummodo efficit, ut, audiens demonstrationem, videat meliora probetque, per hoc nequaquam tamen is ipse impediatur, quin deteriora sequatur. Atque hinc, ut voluntas Auditorum ad bonum agnatum amandum, malum vero fugiendum, impellatur, Persuasioni Passivæ in eodem excitandæ, totum se advertere debet orator etiam sacer. Agnovit id, & in *Oratore Ecclesiastico* L. 11. c. 3. gravissime verissimeque monuit LYDovicvs Crocivs, dum, magna inquit: *oratorie Ecclesiasticæ in affectibus movendis vis est, ut absque ea oratio omnis mortua & sine sensu sonus inanis esse videatur, & orator, qui affectus movere nequit, parum aut nihil præstet. Id quod, si unquam alias, hac sævæ ætate, oratoris nostri præcipuum munus est, quia hac ætate, quæ multum scientiæ, parum conscientiæ habet, nobis, de hominibus ad emendationem vitæ adducendis, potius laborandum, quam de difficultibus questionibus subtiliter & enucleate explicandis.*

T A N T U M.





COROLLARIA RESPONDENTIS.

- I. *Vetus & nova Hierosolyma, loco multum diverso, non sunt conditæ, nec olim prior, quam post, Bethlehemo.*
- II. *Hierosolyma, in utraque tribu, Benjaminis & Judæ, sita.*
- III. *Terra Israëlita, non sensu latiori, ut I Cor. X. 8. & Math. XI. 25. sed proprio, ob tredecim rationes, sacris literis contentas, Dei terra vocatur.*
- IV. *Hebraicis, ut hodie in manibus Eruditorum tenetur literis, Mathæi Evangelium ab ipso, sed dialecto usitata, si scriptum, in Palæstina non est conscriptum.*
- V. *Nulla est corruptela in Gen. XI. 12. Luc. III. 12. locis, ut temerarie Pontificii venditant.*
- VI. *Viros judiciis præfecerunt optimos Ægyptii.*
- VII. *Ideo ex Heliopoli, Thebis Memphique civitatibus, quippe ibi locorum & bonarum artium & profundioris doctrine sedes, Ægyptii iudices suos eligebant.*
- VIII. *Ex felici rerum successu de Religionis judicare non licet veritate.*



ULB Halle  
007 769 113


3



*WIP*







DISSERTATIO

QUA

PERSUASIONIS PASSIVÆ,  
QUÆ ELOQUENTIÆ  
FINIS EST. GENESIS

OSTENDITUR,

QUAM,

AUSPICIIS

SERENISSIMI ET CELSISSIMI PRINCIPIS  
ET DOMINI

D. N. FRIDERICI,

HASSIÆ LANDGRAVII, RELIQ.

ACADEMIÆ RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,  
PRÆSIDE

JOH. ADOLPH. HARTMANN,

HIST. ET ELOQ. PROF. P. O.

IN PHILOSOPHORUM ACROATERIO  
SPECIMINIS CONSUETI LOCO

DIE X. JAN. A. R. S. MDCCXXXIX.

PLACIDÆ

DOMINORUM COMMILITONUM

DISQUISITIONI  
SUBJICIET

JOH. DANIEL BOCKWITZ,

ZIEGENHAINA - HASSUS.

MARBURGI CATTORUM,

TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MULLERI, ACAD. TYPOG.

1739.4.  
10

9 534

